

ctam esse, fama est. Utrique imperio tuo finitimos, hostes
an amicos, velis esse, considera.

SERA ALEXANDRI POENITENTIA. (L. VIII. c. 2).

Male humanis ingenii natura consuluit, quod plerumque non futura, sed transacta perpendimus. Quippe rex postquam ira mente decesserat, etiam ebrietate discussa, magnitudinem facinoris sera aestimatione perspexit. Videbat tunc immodica libertate abusum, sed alioqui egregium bello virum, et nisi erubesceret fateri, servatorem sui occisum. Detestabile carnificis ministerium occupaverat rex, verborum licentiam, quae vino poterat imputari, nefanda caede ultus. Manabat toto vestibulo cruor paullo ante convivae: vigiles adtoniti et stupentibus similes procul stabant, liberioremque poenitentiam solitudo exciebat. Ergo hastam ex corpore jacentis evulsam retorsit in semet: jamque admovebat pectori; quum advolant vigiles, et repugnanti e manibus extorquent, adlevatumque in tabernaculum deferunt. Ille humi prostraverat corpus, gemitu ejulataque miserabili tota personante regia. Laniare deinde os unguibus, et circumstantes rogare, *ne se tanto dedecori superstitem esse paterentur*. In has preces tota nox exacta est. Scrutantemque, *num ira deorum ad tantum nefas actus esset?* subit anniversarium sacrificium *Libero patri non esse redditum statuto tempore;* itaque inter vinum et epulas caede commissa, iram dei fuisse manifestam. Ceterum magis eo movebatur, quod omnium amicorum animos videbat adtonitos: neminem cum ipso sociare sermonem postea ausurum; vivendum esse in solitudine velut ferae bestiae, terrenti alias, alias timenti. Prima deinde luce tabernaculo corpus, sicut adhuc cruentum erat, jussit inferri. Quo posito ante ipsum, lachrymis obortis, *hanc,* inquit, *nutrici meae gratiam retuli, cuius duo filii apud Miletum pro mea gloria occubuerent mortem:* hic frater, unicum